









IN FRIEDRICO AUGUSTO

PROFUMATA MENTATIONIS

CAROLINIS

SOLENNI

FRANCISCO OTTOMARCO BERGERO

COLLEGIUM MEDICINAE SENIORUM

PRO LICENTIA

UNIVERSITATIS

MDCCCXXXIII

HAJONAE

INSTITUTIONE ACADEMICA CONSERVATA

VITENSAE AED. P. J. GROSCHNERI





Q. B. V.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO  
DN. FRIDERICO AVGVSTO  
ELECT. SAX. HEREDE  
26  
9  
1  
1708  
1  
PRODROMVM COMMENTATIONIS  
DE  
CAROLINIS  
BOIEMIAE  
FONTIBVS

DISSERTATIONE SOLENNI  
SECVND A

PRAESIDE  
D. IO. GOTHOFREDO BERGERO  
ARCHIATRO REGIO, COLLEG. MED. SENIORE  
ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA  
CONSEQVENDI SVMMOS IN ARTE  
SALVTARI HONORES

P. P.  
MARTINVS ADOLPHVS POHLE  
GRÖD. LVSATVS

A. D. APRILIS CIO IO CCIIIX.  
IN AVDITORIO MAIORI  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.  
VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.



RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS REGIS AC DUCIS  
D. FRIDERICI AUGUSTO  
ELECT. SAX. HERED.

PROGRORVM COMMENTATIONIS

DE  
CAROLINIS  
BOHEMIAE  
FONTIBVS

DISSERTATIONE SOLENNI

SECUNDA

PRÆSIDIO

D. IO. GOTTFREDO BERGRO  
ARCHIATRO REGIO. COLLEG. MED. SENIORE  
ET PROR. PRIM.

PRO LICENTIA  
CONSEQUENDI SUMMOS IN ARTE  
SALVTARI HONORES


MARXIVS ADOLPHVS POHLE

A. D. APRILIS MDCCLXXIX  
IN A. D. ORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONVULSIS  
VITENBERGAE, PUBL. O. GERDESIANO.







DE  
CAROLINIS  
BOIEMIAE  
FONTIBVS

DISSERTATIO SOLENNIS

SECUNDA

I.



Irari satis non possum, tam discrepantes de uiribus Carolinorum fontium sententias circumferri, adeo ut laudentur ab his, culpentur ab illis, cum uideam effectis, quæ illi pariunt in nobis, cum mistura & temperatione earum, quibus constant partium, ita prorsus conuenire,

A 2

uenire,

uenire, ut iisdem inter se collatis, facile certumque de uiribus eorum & facultatibus iudicium fieri possit. Sed multi, opinor, uel inani aquarum in corporibus nostris lapidescentium metu, de quo infra dicitur, usu illorum deterrentur, uel saltem minus eundem probant, quod non eandem in omnibus efficaciam utilitatemque experiantur. Quorum quidem hoc cunctis in uniuersum remediis est commune, quod non eadem in omnibus, neque iisdem semper hominibus, eorum sint euenta, neque adeo ea ab omnibus æque comprobentur. Ita uero immerito remediis infontibus imputatur, quod uariæ habitudini, & sæpe uitii corporum, usuique peruerso tribuendum erat. Nam uti eadem est constitutio partium, quibus remedia operantur: sic etiam eadem semper sibi que consentiens est eorundem actio. Cum uero naturæ corporum, in quæ illa agunt, multum inter se uariant, & sæpe sint dissimilimæ, fiat necesse est, ut ab adhibitis remediis aliquando diuersus, subinde etiam contrarius consequatur effectus, cum notum sit in uulgo, a mechanica medicamentorum & corporum nostrorum in se ultro citroque actione operationes illorum effectusque omnes proficisci.

II. Itaque

**I**taque cum fontes isti libræ unius pondere sale-  
gerant terræ natium granorum minimum 26,  
eumque ex stiriis nitrosis & salis communis cubis  
compositum, quem iure nitrum appellamus uete-  
rum, atque æstuantis præterea pyritæ halitibus,  
sulphure ferroque grauidis, ferueant: id quidem  
est perspicuum, ab ista aquæ & salium halituum-  
que temperatione recte deduci notissimam omni-  
bus, qui unquam aquis istis usi sunt, uirtutem,  
qua intus sumtæ, aluo, uesica, & meatibus cutis,  
alioue naturæ abscessu reddi, & pluribus corpora  
malis expurgare solent.

## III.

**N**amque salis illius nitrosi tenuissime divisi acu-  
leis, ac totidem ueluti cuneolis ita hæc ex-  
cuta est aqua, ut facile primas transire uias, & subire  
sanguinem, cum eoque corpus circumeundo, sine  
æstu et tumultu obuia alicubi crassa diluere & at-  
tenuare, resoluerè coacta, stagnantia, uel difficilius  
progredientia impellere & mouere, canalibus &  
uasis adhaerentia intus abradere, et uillos illorum  
ad fortiores renixus & contractiones exstimulare,  
uiasque impeditas eluere & aperire, ac secum edu-  
cta per aluum, renes & uesicam, totumque me-  
abilem

bilem corporis habitum, nec raro saliuæ uias elu-  
 uie, liberum humoribus per canales motum con-  
 ciliare possit. Quæ quidem uis nitri abradens,  
 extergens & purgans non solum non ignota uete-  
 ribus, sed etiam, quia idem sal aquam lotioni ha-  
 bilem reddit, hanc potissimum ob causam in fa-  
 miliari apud eos usu fuit, quemadmodum apud  
*Theophrastum, Dioscoridem, Plinium & Galenum*  
 legimus. De eodem nitro accipiendum est, quan-  
 do Iudææ peccanti dicitur Hierem. II. *Si laueris*  
*te nitro, & multiplicaueris tibi Borith: i. e. si ege-*  
*ris poenitentiam, sicuti nitro & borrace macula*  
*eluuntur ex uestibus: maculata es in iniquitate*  
*tua coram me, dicit Dominus Deus.* Mireris au-  
 tem merito, salem illum thermarum nitrosum tam  
 ignotum esse hospitem, atque tam mira de natura  
 eius & generatione afferri, cum eius generis salem  
 nusquam fere non, alibi copia quidem maiore,  
 alibi minore, quisque domi gratis habeat.

## IV.

Sed multum ad illum facilem atque efficacem a-  
 quarum per corpus transitum conferre patet  
 inclusum iis calorem, siue interiorum agitationem  
 partium ab admittis, & totam intus agitantis a-  
 quarum molem halitibus pyritæ sulphureis & fer-  
 reis.

reis. Hi enim continuati specie agminis summe rarefactarum atomorum & uigore quodam igneo cum aquis istis tranant corpus, & uiuido illud humidoque calore fouent ac reficiunt, atque ad interiores eius recessus parant aditum, eoque uigoris & motus momento, tum & tenuitate sua solida humores eliquant & fundunt, uimque aquarum extergentem ita adiuuant, ut, quæ flumini earum obstant, facilius submoueant, atque ad alacriores motus cum succos, tum uillos corporis compellant & exfuscitent.

V.

**A**c quantam quidem uim penetrandi & salia & halitus isti aquis prebeant, uel inde etiam iudicemus licet, quod usu earum aquarum urina non solum cum instillatis quibusque acidis conffligat, sed &, si eadem ad solem conspiciatur, micantibus micis salis satuta, cum araneola in superficie uersicolore, qualis aquæ extinctionis ferri esse solet, appareat. Neque rarum est, eiusmodi urinam per plures menses ab iis reddi, qui paulo maiori copia & aliquanto diutius thermas abbiberunt. Huc accedit, quod thermæ, quo bibantur calidius, hoc magis sudorem cieant & urinam, tepidæ uero, uel frigidæ, aluum inprimis moueant.

VI. Li.

**L**icet uero aquæ hæ feruidæ corpus cito totum  
 peruadant, & humores copiose per loca edu-  
 cant uaria: tamen magna etiam copia per plures-  
 que adhibitæ dies, neque pulsus, neque æstum  
 concitant, sitimque non mouent, sed fedant & re-  
 stinguunt; id quod non soli aquæ, sed & coniun-  
 cto salis nitroso tribuendum puto. Hoc enim,  
 quod acutis quidem, sed fixis, seu firmis stabili-  
 busque constat particulis, humores ita mouet &  
 dissoluit, ut tumultum æstumque nullum in uasis  
 excitet, sed eum præpediat potius & infringat,  
 eaque humorum solutione & temperatione secre-  
 tiones eorum, quemadmodum in excretoriis aliis,  
 ita in fontibus etiam saluæ procuret. Idem be-  
 neficium a salibus quibusuis fixis, præsertim uero  
 nitrosis, in curatione februm quotidie expe-  
 rimur.

## VII.

**I**psa etiam copia aquarum, istis præsertim concita  
 stimulis, dum molem humorum auget, & cana-  
 les corporis dilatat extrorsumque urget, ad reni-  
 xum eos & contractionem uegetiorem incitat,  
 eoque & pressionem liquidorum expressionem-  
 que non parum adiuuat.

IIX. Ve-

## IIX.

**V**eruntamen uariæ sunt purgationes illæ corporum pro uaria eorum natura, qui thermis utuntur. Nam licet uis thermarum, quam in partes solidas succosque corporis exercent, una semper sit eademque: tamen prout uigor uentriculi & intestinorum, pulsus item cordis & arteriarum, & consistentia ac fluor humorum, tum & amplitudo atque libertas pororum & meatuum variat, in aperto est, plus minus difficilem esse non modo aquarum ex uentriculo per intestina, atque ad cor transitum, sed etiam distributionem per uasa ductusque corporis, & qui his continentur, succorum solutionem, quæque hanc consequitur, secretionem & per hæc illaue loca emissionem, prout uarios mole liquores diuersi capacitatis hiatus meatus admittunt.

## IX.

**R**epurgatis autem ita sine uehementia, nullaque naturæ illata ui, uasis & canalibus corporis, erectisque eorum uillis, planum est, tunicas illorum, remoto omni obstaculo, contrahi uiuidius, & pristinum recipere tonum, eoque & motum canalium, & pressionem ac secretionem deriuationemque succorum liberiolem feliciolemque fieri.

B

Vnde

Vnde illa quidem insignis, quam potio thermarum partibus corporis solidis pariter ac liquidis præstare potest, utilitas elucet.

## X.

**N**eque tamen pro nihilo putarim habendam esse uim temperandi acidum, quam hæ aquæ tam a sale, quam ferro gypsi que ramentis fatis luculentam habent. Constat enim ab acidi in canale potissimum alimentorum exuperantia graues corpori molestias creari.

## XI.

**M**erito aquæ gypsata, uel quæ multam in se habent substantiam gypseam, propter uim nimium constipantem insalubres pro potu & noxiæ habentur. Sed his nequaquam annumerandæ sunt aquæ Carolinæ. Et quis pollinis illius tenuissimi, sale nitroso subacti & dissoluti, & tam multa diluti aqua, in minimasque disiecti moleculas, ac motu caloris agitati, tantillum, granorum nempe circiter uiginti in libris sex aquarum, iure metuat? Præsertim cum ex *Scribonio Largo* constet, eos, qui a sumto gypso male habent, lixiuio e cinere sarmentorum facto adiuuari, quod quidem non plus hic ualere lixiuio thermarum harum nitroso iure existimauerim.

## XII. Qui



## XII.

Qui thermas metuunt in corpore lapidescentes, ideo quod ex iisdem tophos gigni cernunt, hi & sanguinem & urinam in corpore lapidescentem metuunt necesse est, quando illum uena missum in lapideam coire duritiem, hanc uero matulam copiose incrustare uident.

## XIII.

Quod si quis paulo morosior metu adhuc isto tenetur, is causam habebit speculandi, quamobrem, cum thermæ in Italia non solum pro balneo, sed pro potu etiam *Strabonis* testimonio, antiquitus adhibitæ fuerint, hodieque in pluribus bibantur regionibus: tamen nullæ eiusmodi concrectiones tophaceæ neque in hominibus, neque animalibus, quæ thermas quotidie biberunt, unquam sint repertæ; & qui non in petram conuersus fuerit parochus ille *Horatius*, qui, uti testantur *Huberus* & *Dillerus*, cum in iuuentute pane sordido & caseo uitam aliquot annis toleraret, eoque diu deinde grauibus uentris torminibus & compressionibus pectoris misere excrucietur, thermas tandem Carolinas adiit, & sexaginta quatuor diebus 2689. sextariis (sextarius unus est unciarum XII.) illarum aquarum corpus eluit, eo quidem

dem successu, ut materia semper caseosa, quam corpori iam inde ab annis 24. inhæsisse affirmavit, secesserit, isque ab eo tempore per plures postea annos, ter quaterque in uno, sex semper septimanarum spatio aquas easdem lætus biberit.

## XIV.

**C**æue autem aquas Carolinas pro panacea, non minus naturæ, quam arti ignota, habeas. Namque eæ ultra vires salis sui nitrosi, aquis dissoluti, adiutique calore & particulis pyritæ, agere nequeunt. Id quod coaguli humorum firmioris atque obstructionum contumaciorum argumento confirmatur, quæ aquis hifce minus cedunt, sed solidioribus & durioribus cuneis opus habent. Quosdam etiam morbos inde efferatioris fieri & magis rebelles, aut excitari novos uideas, cum succi acriores & liquefcentes, aquis his fusi magis & eliquati, sæuiore rabie membra impetunt, uel impactæ alicubi sordes crassiores durioresque transiui aquarum obstant, iisque commouentur quidem, sed non promouentur, uel contracti nimium, aut distenti & relaxati canalium uilli, illam aquarum molem tribuere per membra, atque ad exitum prouehere nequeunt, uel emissæ ex uasis resolutis uel laceris aquæ, eluuiouem pariunt.

## XV. Ea-

## XV.

**E**adem est ratio thermarum Aquisgranensium, ut & Bathoniensium in Anglia, nec non Borboniensium in Gallia, quæ uti eadem prope partium mistura & temperatione: sic iisdem quoque uiribus & facultatibus pollent. Namque libris sex (hic medicas ubique intelligo) illarum thermarum salis nitrosi continentur drachmæ duæ cum semisse, quæ salis aquis his calidis soluti quantitas aluum urinamque ciere, salium more alcalium, omnino potest. At fere minimum est illud pondus thermarum, quod paucis quidem sufficit, cum plerisque maius conueniat.

## XVI.

**S**ed noli credere mangonibus istis, qui thermas æque ac acidulas, naturalibus similes, imo superiores, arte confici posse gloriantur. Nam præterquam quod hi ueram fontium illorum medicatorum originem & compositionem ignorant, ipso facto usuque rerum, quas arte sua confecerunt, temeritatem suam produnt. Satis quidem constat, naturæ simiam artem esse, eamque imitari, sed modo euentuque ualde dispari.

## XVII.

**I**llud uero non minus ex temperatura aquarum Carolinarum, quam ex effectis, de quibus ante

dixi, clare intelligitur, usum earum internum in multis omnino morbis longe patentem & praestantissimum esse. Cum enim, quanta satis est copia, pota, uentriculum cum intestinis & uis lacteis, uasisque sanguineis, ex quibus uiscera & membra alia structuram & compagem sortiuntur, euerrant & eluant, & cum eluie serosa biliofaque per aluum & uesicam, ac meatus cutis, locaque subinde alia educantur, commode eas apparet adhiberi posse in morbis, qui ab impuritatibus primarum uiarum, ipsiusque sanguinis, & succorum aliorum, atque hinc oriente fibrarum atonia, ac minus expedita humorum deriuatione secretionaque proficiscuntur. Ex quibus harum rerum intelligentibus non difficile erit colligere, quantum eae speciatim ualeant in imbecillitate uentriculi, & hinc orientibus uitiis appetitus & chylificationis, in cardialgia, asthmae praecordiali, inflationibus & doloribus intestinorum, aluo difficili pariter ac fusiore, morbo ructuoso, & illa malorum syndrome, quam affectionem uocamus hypochondriacam, malo item corporis habitu & scorbuto, ac tribus huius utriusque affectibus aliis, in doloribus porro capitis & partium aliarum, stupore membrorum, paralyfi, contracturis, & uariis affectibus

cutis,

cutis, ulceribus, scabie, impetiginibus & uutiliginibus, atque impuritatibus eiusmodi aliis.

## XIIII.

**S**i quid affecto cerebro auxilii afferunt, id quidem purgationi sanguinis & instauratæ circulationi secretionique, uti in membris aliis, ita quoque in capite & cerebro debetur. Sed nisi tempestiue exitum aquæ inueniant, & uasa onere leuent, mole sua plus æquo dilatando teneras & facile cedentes cerebri arteriolas, & premendo laxandoque fibrosam mollemque illius compagem, minus eidem conducere possunt. Quæ quidem causa fatis idonea uidetur, quamobrem iis aquis in affectibus cerebri minus sit fidendum.

## XIX.

**M**aiori autem commodo erunt in morbo articulari, chiragra, podagra, coxendicum & ceterorum doloribus articularum, modo in tempore, & non temere inchoato iam, uel appropinquante paroxyfmo, adhibeantur, nec firmas nimis radices malum egerit, necdum ualde sit nodosum. Quo quidem casu id quemadmodum auxilia alia, sic thermarum quoque usum haud raro eludit, & inconsiderato medicamentorum usu aut exasperatur, aut in  
aliud

aliud grauius malum transit, uereque fit medicorum dedecus & opprobrium.

## XX.

**A**tque uti eadem est nodosæ arthritidis & calculi materia: sic facile patet, quid auxilii in duris renum & uesicæ calculis ab usu thermarum sit sperandum. Laudat aquas Caias in Thuscia *Faci- cius Vbertus*, quod supra omnia medicamina ad lapidem sint salubres, & terant eundem frangantque, ceu grana milii. Neque ignotum, quantam uim salia nitrosa & alcalia in soluendo pellendoque calculo habeant. Sed uidendum hic, ne plus habeat calamitatis promissio in recessu, quam uoluptatis in fronte. Lapillis autem exiguis, & sabulo arenaque, ac impuritatibus aliis, in calculum aliquando abituris, mundari aquis thermalibus renes & uesicam posse, satis usus docuit.

## XXI.

**N**otum est etiam, non sine fructu easdem bibi aquas in renum & uesicæ exulcerationibus. Quo nomine cum aquis conueniunt Ferratis in Thuscia, quæ quia mirifice uesicæ uitia emendabant, Vesicariæ appellabantur. Harum uirtute aquarum adductus *Scribonius Largus*, ad tumorem, dolorem & exulcerationem uesicæ laudat aquam

aquam extinctionionis ferri. *Hoc ego, inquit, traxi ab aquis caldis, quæ sunt in Tuscia ferratæ, & mirifice remediunt vesicæ uitia. Appellatur itaque uesicariæ, quondam Milonis Gracchi, prætorii hominis optimi ad quinquagesimum lapidem redentis.*

## XXII.

**O**pitulari præterea possunt mensium tam defectui, quam fluxioni nimie, & inordinatæ, ut & abstergendo molesto isti fluori albo. Nec deest eis uis excitans Venerem & fœcundans, quando uias uteri, ouariaque tergunt, & longiore præclusa sterilitate ad conceptum relaxant. *Quæ frigidos & densos habent uteros, non concipiunt, neque quæ prætumidos habent; siquidem in iis semen extinguitur,* inquit *Hippocrates S. V. aph. 62.* Aquam Nili, quæ nitrosâ est, constat eadem ui clarâ fuisse. Ac *Plinius* aquis quoque aliis id laudis tribuit, præsertim Sinuessanis in Campania, Thespiarum fontis in Bœotia, & Elati fluminis in Arcadia; quem quidem effectum *Georg. Agricola* nitro, his aquis soluto, acceptum refert.

## XXIII.

**M**orbos prætermitto alios, in quibus prodesse possint aquæ nostræ, ne nimius in laudandis iis uidear. Nec fere dici breuiter potest, quibus

G

nam

nam morborum generibus magis conueniant, cum pro uarietate caufarum & graduum morborum, ac eorum, qui iis affliguntur, hominum, ferendum fit iudicium. Est uero hic uulgaris fere error, ut uel inconſultis medicis, qui eorum fontium naturam callent, uel poſt longinquum & ſæpe ineptum remediorum aliorum uſum, quo fatigata corruptaque natura ad interitum inclinat, thermæ demum adeantur, uel etiam aliter, quam decebat, eadem adhibeantur. Quo fit deinde, ut euentu uel fruſtraneo, uel noxio, nec raro funeſto abbibantur, & quod abuſui debetur, ex ſe inſonti ſalubrique remedio tribuatur.

## XXIV.

**I**taque ſi conſtet, quibus expediat horum fontium uſus, obſeruandum eſt

I. Eos non niſi detracta uaforum plenitudine, & repurgatis, quoad ſatis eſt, primis uiis, adhibendos eſſe, ne abundantia ſuccorum corporis capiendæ moli aquarum obſtet, & impuritates primarum uiarum uim earum eludant, & una cum iis intra uafa abripiantur, ſuccosque & ſanguinem inficiant, unde ilias morborum oriri ſolet.

II. Deſiniendum eſſe tempus ratione temperatum anni. Vbi non male ſuadent uſum horum fontium uerno & autumnali tempore, quod utrumque



que temperatum fit, & nullum caloris excessum habeat. Neque uero disuaserim usum temporis hyberni, sequutus sententiam *Morelli de Balneis Patauinis*. *Valeant, inquit, qui tempore hyemis aquas thermarum nolint exhibere, existimantes, eas brumali tempore aliquid uirtutis acquisitæ dimittere, quum tamen eo sint tempore perfectiores, omnibusque qualitatibus potentiores. Frigus enim ambiens non sinit aquas illas ita disflare, & spiritus exhalare, unde perfectior illarum actio redditur. Quare ex parte aquarum hyems uideatur magis opportuna, quam aliud tempus. Idem ex parte egrotantis est, quandoquidem uirtus est fortior ad sustinendam tantam aquæ copiam, nec aer frigidus debet hanc aquarum administrationem impedire, quum ad libitum nostrum possit alterari.*

III. Tempus diei commodissimum esse horas matutinas, quintam uel sextam, refectis nocturna quiete uiribus, & si opus fuerit, leuato prius naturæ onere.

IV. Rationem habendam esse modi, ut sensim & partitis uicibus, ac per interualla, quibus aluus & uesica, prout natura operatur, debite exonerentur, recens haustæ ex præcipua scatebra aquæ

calidissime bibantur, idque interpositis moderate deambulationibus in loco temperato, quo facilius aquæ citiusque adiutæ corporis motu reddantur. Quibusdam tamen, præsertim infirmis minusque peruiis corporibus, magis respondet efficacia aquarum in lecto, cuius quippe calore pori magis aperti atque meabiles seruantur.

V. Inprimis quantitatem potus definiendam esse ratione naturæ bibentis & morbi, quo tenetur, ut diebus aliquot continuis sine intermissione, aut usu balnei, ea quoque die quantitate aquas quisque bibat, non quantam ferre, sed quantam facile & commode ferre possit. Hac ratione quotidie plures dies bibitæ aquæ, uim suam exerent liberius, & prouocata iis atque irritata natura, ad euacuationis opus facilius multo & efficacius se accinget.

### XXV.

Neque enim probare possum receptum hætenus morem, quo aquæ quinque, sex, uel septem, aut nouem ad summum dies bibuntur, & dies deinde tres, quatuor, uel quinque, aut plures in balneo adhibentur, eoque modo repetitæ tres, aut minimum duæ, ut loquuntur, curæ instituantur. Quasi uero hæc curandi ratio omnium naturarum morborumque conditioni exæquaretur.

tur. Cum uero non minus ratione, quam usu & experientia constet, non omnibus æque prodesse potum & balneum, & hoc plerisque non modo non inutile, sed & noxium esse, solamque multis potationem, eamque aliis longiorem, breuiorem aliis, conuenire, incommodum omnino apparet sæpeque perniciosum institutum illorum, qui uno omnes modulo ac pede metiuntur. Ac quanta quidem uehementia naturam balneum impugnet, exponetur alibi, & uel inde satis constare potest, quod, cum aquæ magna quotidie copia calidissime potæ, nec æstum accendant in corpore, nec pulsus augeant, sitimque moueant nullam, sed depellant potius, in balneantibus contra & æstus & fitis accendatur, pulsusque cordis & arteriarum nimium quantum concitetur, præterea facile exsoluantur uires, deficiat appetitus, & dolores capitis, uigiliæ immoderatae, aluus difficilis, ardor urinæ, profluuium sudoris, rheumata, febres, malaque alia accidant, si modo leuis in calore balnei mora que paulo diuturniore error committatur.

## XXVI.

**R**ectius omnino ii, quibus paulo est tenerior constitutio, neque idonea perferendo æstui aquarum, eluendo corpori harum tantum potationem

C 3

tionem

tionem adhibent, ita ut pro conditione roboris prima die a sextariis duobus, uel tribus, uel quatuor, aut quinque, non uero pluribus incipiant, alteraque die addant sextarium dimidium, aut integrum, & caute pedetentimque, quoad necessitas requisierit, progrediantur usque ad quintum, sextum, septimum, uel octauum, sed non temere excedant numerum librarum uel sextariorum decem. Post continuatam aliquot dierum, plurium, uel pauciorum, potationem per eosdem deinde gradus descendatur, unde coeptum est. Vidimus, quibus sex octoue quotidie sextarii per duas tresue hebdomadas egregie satisfecerint. Nec licet unum omnibus continuandæ potationis tempus assignare, cum pro natura morbi & temperamenti, huic septem, alteri quatuordecim, aliis uiginti aut triginta dies, pluresque nonnullis conueniant. Sed diuturnior usus una uice, nisi in quibusdam casibus, non facile admittendus. Quod enim commode uno efficere non potuimus, id altero anno facilius consequemur. Sunt tamen exempla eorum, qui & aquas Carolinas, & Aquisgranenses, & similes, non sine magno commodo ad duos tresue biberunt menses, diebus paucissimis interiectis, quibus potu abstinerunt, maiusque beneficium diebus postremis, quam primis, se accepisse retulerunt.

runt. Quodsi non satis adhibentur remedia, nec satis ualent ad superandum morbum. Quæ profecto una ex causis non postremis est, quamobrem multi tam felicem curationis euentum non experiantur, quem usu diuturniore & intermisso balneo obtinere poterant.

## XXVII.

Quodsi cui & potu & balneo utendum, is purgandi corporis gratia aquam prius bibat, quoad satis est: deinde absoluta demum potatione, balneum experiatur, id quod paucis quidem calidius, plerisque temperatum conuenit, ut alibi dicitur. Nota uero efficacia & salutaris ex aqua purgationis ab excretis & laborantis conditione sumitur. Si nempe talia deiiciantur, qualia deiici oportet, et non solum aqua talis demum excernatur, qualis ingesta est, sed etiam agrotus se inde magnopere leuatum, uel præcipuis, quibus tenebatur, malis liberatum solutumque senserit, tum perfecta & utilis purgatio censei debet.

## XXVIII.

Ceterum adhibenda imprimis est cautio, ne conuenientis diætæ lex uioletur. Ea quidem, finito etiam potandi tempore, unius mensis minimum spatium ita obseruanda est, ut singulæ secretiones secundum naturæ leges procedant, eaque omni onere leuata,

uata, nouum recipere uigorem possit. Cum autem quæstio sit, utrum potus thermarum inter pastum concedatur; etsi non ignoro, eum, tanquam abusum insignis periculi, damnari a *Baccio*: tamen ut generalem aquarum Carolinarum usum inter cibum probare nolo; ita eum iis, qui cardialgia, colica, & eius generis uentriculi & intestinorum affectibus laborant, conuenienti quantitate nequeo dissuadere. Sunt enim, quibus infirmo stomacho & laxato intestinorum tono laborantibus moderatus earum aquarum inter pastum usus magnum leuamentum attulerit. Idem uero experiuntur, qui sumtos cibos non ita bene conficiunt, si tribus aut quatuor a pastu horis easdem aquas ad libram unam hauriant, quod ad diluendam ciborum massam, & distribuendum felicius chylum summopere conducit.

## XXIV.

**N**eque abs re erit interdum usum thermarum temperari & adiuuari medicina. Ac danda demum est opera, ut potatio conuenienti pharmaco finiatur, quo aquæ superflua, iisque soluta & commota sordes satis ex corpore secedant. De usu aquarum Carolinarum externo alibi dicendi locus erit.

SOLI DEO GLORIA!

Wittenberg, Diss., 1708

VD18

ULB Halle

3

005 359 333









Q. B. V.  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO  
 DN. FRIDERICO AVGVSTO  
 ELECT. SAX. HEREDE  
 PRODROMVM COMMENTATIONIS

26  
 9  
 1

DE <sup>1708</sup>  
 CAROLINIS  
 BOIEMIAE  
 FONTIBVS

DISSERTATIONE SOLENNI  
 SECVND A

PRAESIDE  
 D. IO. GOTHOFREDO BERGERO  
 ARCHIATRO REGIO, COLLEG. MED. SENIORE  
 ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA  
 CONSEQVENDI SVMMOS IN ARTE  
 SALVTARI HONORES

P. P.  
 MARTINVS ADOLPHVS POHLE  
 GRÖD. LVSATVS

A. D. APRILIS CIO DCCIIIX.  
 IN AVDITORIO MAIORI  
 HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

